DE CHRISTI DOMINI CRVCIATIBVS ORATIO

DIE PARASCEVES
In Sacello Pontificio Vaticano
AD SS. D. N.
INNOCENTIVM X.

Habita à Ferdinando Ximenes è Soc. Iesu.



ROMÆ, Typis Hæredum Corbelletti. 1647.

Superiorum Permissu.

AMICO LECTORI S.

COmpendiaria hæc Dominicæ Paſsionis hiſtoria, vt oculorum tribunal declinaret, calamum refugiebat, ac prælum: ſed quando auribus excipi contigit innocentibus: veluti quandam induerit innocentiam, oculos etiam ſperat innocentes. Prodit ergo tibi

vni (Amice Lector) inſcripta; quem vnum, dum ſibi iudicem eligit, optat patronum. Si tibi aliquid ex hiſtoria curſim, ac nimis ieiune dictum occurrerit. Caue, ne ſacros accuſes Hiſtoricos, qui ſingulos Chriſti Domini cruciatus haud æquè fusè, copioſèque ſcripſerunt. Vale.

ORA-

ORATIO.

EN tandem B. P. impleta, heu nimis impiè! humanorum criminum vota. Chriſtus Dominus beneficentiſſimus hominum parens, ab ingratiſſimis filijs vnicè expetitus in mortem, mortuus eſt. Et vtinam mortuus; ſed, exquiſitis vndique pœnis vſque ad horrorem naturæ, imò ad ipſiuſmet furoris nauſeam, atrociter dilaceratus, ac nouã ſemper in vulnera rediuiuus, plurimâ tandem cæde confectus eſt. Execrandæ crudelitatis ſeriem cùm longius, quàm à

Gethsemani, vbi Saluator noster pœnarum suarum tyrocinium posuit, repetenda non sit, quàm breuissimè expono.

Nactus igitur oportuna placidæ noctis silentia, in suburbanum viridarium, ipsa loci amœnitate securam quietem pollicente, sibi, ac Deo vacaturus de more secesserat; sed repentinus conspirantium affectionum tumultus omnem latè animum terrore, mœstitia, tædioque compleuit. quilibet frutex subita pauoris cultura in Crucem adoleuerat. non aspis, aut basiliscus; rosa timebatur, ac lilium; quæ sibi imaginaria in monstra horror verè monstruosus deturpauerat. Vsque adeò mortalibus inter lacrymas natis sinceræ nullæ sunt voluptates; vt vel inter maiora irritamenta lætitiæ esse non liceat sine lacrymis. Quamquam sublimiori fortasse, aut diuinitatis Sacramento, aut certè documento mortalitatis factum arbitror, vt ibi primas Christi dolor radices ageret, vbi in ipsa hortorum amœnitate florumquè delicijs, maxima doloris obliuio germinabat; vt enim nobis deliciarum tam

cupi-

cupidis tanti doloris ſenſus in amoribus eſſet, eſſe debuit dolor in delicijs. Interea vehementiori curarum æſtu agitatus eò acerbitatis animi ſenſus excreuit, vt diſruptis vſquequaquè venarum obijcibus toto è corpore cruorem profuderit. Supremus enim nunquam eſt ſine vulnere cruciatus; cruentaquè in purpura ſuperbire debet dolor, ſi regius eſt. Ergo in horto Gethſemano cùm Chriſtus Dominus ſecreto, intimoquè animi cruciatu ſponte Cruci præluderet; & morienti quàm viuenti propior, vicinæ morti malè iam viuus aſſueſceret, adfuit poſt acceptam ſceleris mercedem Iudas Iſcàriotes, pactum Magiſtri ſui ſanguinem fide perfidà traditurus. Sed quia nefariæ proditionis turpitudinem, vel ipſa Iudæ mortalium ſceleſtiſſimi facies refugiebat; nequiſſimus proditor, cui licet cordis nulla penitus cura eſſet, ſumma tamen erat frontis ſollicitudo; totus ad amorem compoſitus, quam è corde exterminauerat, impudenter affectabat in vultu beneuolentiam: & quando in amantem ſæuien-

dum erat, virulentam, ac plusquam viperinam rabiem in amicos amplexus, in mollissima verba, in lacrymas, quis crederet? in oscula atroci crudelitatis industria elaborauit. Tunc profecto amplius non fuit, quod Mauritanis hortis fabulosum anguem inuiderent Hesperides Palæstinæ. Habuit Gethsemani Draconem suũ non dente, aut oculo, sed osculo venena inhalantem; illoque hoc saltem nomine nocentiorem, quòd, cùm vterque auri excubijs fuerit destinatus, Iudas ex custode

Ioan. 12. fur, ac prædo auaritiam custodiuit magis, quam fidem; donec pecuniæ libido latrocinijs inexpleta in sordidam tandem al eni Sanguinis mercaturam degenerauit. Nimirum cui aurum in votis, & lucrum pro Numine: quodlibet sacrilegium, si quæstuosum, sacrificium est. Ad huius osculi classicum irruunt cohortes coniuratæ, vnaquè cum satellitibus conspirant Sacerdotes, dispari quidem opere, sed scelere pari. Vincitur innocens Iesus, raptatur, proteritur, ad suæ gentis tribunalia sistitur, vni sibi profusæ in immeritos be-

nefi-

neficentiæ reus, &, quia criminum vindex, criminoſus. Reliqua nocte, donec diluceret, ludibrijs, pugnis, alapis, tanta impietatis licentia, tanta militum impudentia inſanitum eſt, vt vltra ludi fines ſe non progreſſum arbitraretur, quicunque citrà mortem ſæuiret. Verùm qui nocte Iudæorum in atrio ad immanem voluptatem luſerat furor, mane facto rem ſeria crudelitate agere cœpit in prætorio Romanorum. Quis hoc loco malignum Hebræorum ingenium amariori animi ſenſu non indignetur? quibus parum fuerat in propria venientem per ſummam inurbanitatem olim non recepiſſe; niſi etiam proximè diſceſſurum inhumaniter cepiſſent in agro; turpiter excepiſſent in aula; vt adeò indigne à ſuis exceptus, habituſquè, inde etiam turpiùs eijceretur ad exteros. Apud Romanum Præſidem capitalis quæſtio conſtituitur: hic ad Herodem reijcit cauſam; quæ rurſus ad Pilatum deuoluitur; nec tamen tot, ac toties repetitis accuſationibus aliud crimen deprehendi potuit, niſi calumnioſa accuſato- *Ioan. 1.*

rum.

rum criminatio. Mitiſſimus enim Dominus vbique innocens, quiâ vbique Ieſus. At heu miſeras innocentiæ vices! cui poſt dilutas miro ſilentio inimicorum calumnias, adhuc timendus ſupereſt amici Iudicis timor, nec immerito; nam iudice metu nocens eſt quicumque non audax. Igitur Pilatus ex optimo teſte peſſimus repente Iudex, quem ſummo iure aſſerit innocentem, ſumma ſimul iniuria ſicario æquiparat nocentiſſimo. Imô ne peſſimus quidem iudex, ſed præ nimio metu demente ſimul, ac poteſtate deiectus, optione facta ius omne accuſatoribus delegat iterum ex Iudice reus. Quarê cum iudicium à Prætorio delatum eſſet ad triuium, cauſaquè clamoribus ageretur, actum omninô de ſilentio fuit: timidus enim Præſes ingenioſam ratus miſericordiam, ſi Chriſto mortalium vitam ſua morte redempturo, fuſtuario crucem, & ſanguine vitam redimeret: iuſſit nudum, ac ſaxeæ columnæ religatum flagris, verberibuſquè diſcindi. O caput ſtolidiſſimê efferatum! quò tandem tua ſe immanitas

tas prouehet, si tibi misericordiam efferare, misericordia est? Illico prosiliunt scelesti virgatores, alienæ vitæ periculo facturus suæ quisquè periculum crudelitatis. Cæditur, discerpitur, dilaceratur, totusquè in cruorem exprimitur regius ille flos, virgineo purioris numinis sanguine purpuratus. Sed illud sanê diuinæ patientiæ prodigium fuit, quòd Dominus seruata viscerum mollitudine itâ in angularem lapidem obdurûerit, vt non modo petra esset Christus, sed esset simul & Christus, & Petra; è qua, sicut olim sitiens populus gemina percussione aquarum venas eliquauit; itâ nequitiæ caligine obcœcatus iteratis ictibus abstrusum venis vnà cum sanguine incendium charitatis excuderet; Imô genus omne humanum veteri aquæ, & ignis interdicto abolito per aquam, ignemque meliorem, hoc est per vnum Christum in vnicum salutis refrigerium educeretur. Quàm libenter in huius dehiscentis Petræ siue foraminibus, siue cauernis exangui cum Domino exanguis etiam deficeret oratio mea;

Paul. ad Eph. 2.
Cor. 10.
num. 11.

Psal. 65.

Cant. 2.

mea, nisi importunis spinarum aculeis
Psal. 51. excitata, & ab eadem petra, vnde omnes
nos excisi misericorditer sumus violenter
auulsa, ad metam crucis per noua pœnarum genera præceps quasi calcaribus ageretur.
Psal. 128. Innocens illa caro adeò alte arata, nouata, totiesque non tam verberum,
Psal. 27. quàm criminum vomere iterata refloruerat tandem in rosas, cruentas quidem, sed, quiâ sine spinis, diuinæ indices charitatis: quæ nec vulnerata edoceri potuit vulnerare. Cùm ecce tibi ferox Iudæorum sæuitia, hanc diuini amoris suauitatem non ferens, nec rosas ferre potuit sine spinis: quin imo inuerso humanitatis, naturæquè ordine, spinarum diademate sanguinem illum coronat, qui hominum spinas rosarum more coronaturus eruperat. Iocularis purpura, sceptrum arundineum, scurrile obsequium ad commouendos petulantis vulgi cachinnos excogitata, attentiori speculatu recogitanda hìc essent; vt ludicra illa supellex humani inanitatem dominatus ad probrosum ambitionis nostræ ludibriũ exprobraret.

sed

ſed in Caluariæ cliuum raptato cum Domino tanta rapimur celeritate , vt nec ruentis ſub Cruce Saluatoris in cœno, ac puluere defixa veſtigia oculis , ne dum oſculis luſtrare concedatur. Bene tamen eſt; in Caluarium enim, vt infandi parricidij extrema auidiùs exciperet, quadam anticipatione doloris veſtra me iam dudum pietas curioſa præuertit. Vtinam Carnifices, clauos, crucem, plagas, cruorem, ſitim, cædem; vno verbo ſupremos corporis, animiquè cruciatus ſuprema ſaltem liceret oratione percurrere. Vtinam ſuis pendentem è vulneribus Redemptorem propiùs daretur inſpicere; vt ab ijſdem nos etiam vulneribus humano generi pacem loquentibus, vel attoniti penderemus, vel liquidiſſimam, diuinoquè cum ſanguine profluam hauriremus charitatem. Sed nos miſeros! quos ad repentinum ipſa in meridie lucis defectum; ad ſubitum, ſiue rerum omnium in parricidij vltione tumultum, ſiue naturæ authori ſuo commorientis excidium; horror habuit adeò vehemens, vt vix aliud quid-

Pſal. 84.

Iſaia 12.

piam

piam recenſere diſtinctius poſsimus, niſi quòd Chriſtus Dominus, poſtquam admirabili erga Matrem, Diſcipulum, latronem, interfectores ipſos ſolicitudine docuerit, ſe nobis mori, non ſibi; quin potius ſibi moriens, inclinato capite, noſtræ ſaluti nunquam moriturus expirauit. Sed quia oſculorum tela, etſi in vultum directa, in cor tamen collineant: cædes ab oſculo cœpta debuit tandem vulnere cordis abſolui. Nobis autem apertum exhibens cor; & lacrymarum fontem, & charitatis tribunal vno hoc vulnere miſericors Ieſus patefecit, vt nos tanti ſceleris amore iudice abſoluendos intelligeremus, ſed non ſine lacrymis. Quòd enim conſumpti penitùs non ſimus, Domini profecto miſericordiæ fuit, quæ nos mortuo Ieſu commori noluit, vt ſuperſtites viueremus dolori, cui ne parceret, pepercit vitæ. Lacrymandum igitur, vt viuamus; ideoque viuendum, vt iugiter lacrymemur.

Thren. 3.

LAVS DEO.

FINE